EPIPHANUS / CASSIODORUS
um 1170/1180 Seite 130r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=900
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



armare milites ad uictoriam dice
bantque se pro solatio destinatos. Quorum
alter iohem euglistam alter se di
cebat philippum apostolum. Hac uisione
comperta nequaquam ab oratione ces
sauit. sed lacrimas uberiores effudit.
Que uisio etiam alicui militi reue
lata est. et per diuersos peruenit ad princi
pem. At ille non propter me inquit
hoc iste uidit. sed ne quis crederet
quia finxi quod ego uidi. ideoque isti
etiam monstratum est. Nam primo
mihi hoc dominus communis ostendit. Socrates xl

Fit igitur congressio circa fluuium uoca vi
bulo frigidum, ubi in parte qua
romani contra romanos confligebant.
bella erant equalia. Unde uero bar
bari auxiliatores imperatoris. pars
eugenii fortior esse uidebatur. Im
perator autem uidens barbaros deperire
et in maximam ueniens estuationem.
prostrauit semetipsum ad terram.
adiutorem inuocans dominum. Et petici
one frustratus non est. Quidam enim bac
curius militum eius magister. repente
sic confortatus est. ut cum primis du
cibus concurreret ad eam partem qua
barbari premebantur. Quo facto diru
pit acies. et in fugam mox uertit ini
micos. Fitque denuo ea hora mira
culum. Ventus enim uehementissimus
inspirans emissa iacula ab eugenii
partibus contra eos denuo reuocabat.
et a partibus imperatoris ad hostes cum
magna fortitudine deferebat. Tan
tum ualuit imperatoris oratio. Hoc
itaque modo dimicatione consumpta. ty
rannus concurrens ad pedes imperatoris.
exorabat pro mercari salutem. Qui circa
pedes eius a militibus capite cesus
est. Hec gesta sunt xvii die septembris
mensis consulatu archadii tercio. et
honorii secundo. Arbogastus autem tan
torum cum malorum post duos congressionis
dies fuga lapsus. dum cognouisset
quia uiuere non posset proprio gladio se
interemit. Sozomenus xlvii

Ea siquidem tempestate plu
rimi inter episcopos effulgebant. sicut
donatus curie epyri. De quo dum
prouinciales miracula multa tes
tentur. maximum tamen est quod de dra
cone gessit. Is enim circa pontem in
uia publica iacens. cybum habebat
oues. capras. equos. boues. et homines
arripiens deuorabat. Ad quam bes
tiam donatus sine gladio. sine quo
libet iaculo ueniens. dum ille le
uasset caput. quasi deuoraturus uirum
tunc ille uexillum crucis ante
faciem eius, designans in aere in os
eius expuit. Bestia uero sputum
mox ore suo suscipiens expiravit.
Quam sicut audiui octo paria bouum
in uicinum campum traxerunt. et misso
igne combustus est. ne aerem fetore
corrumperet. Huius itaque donati se
pultura insignis est. ubi oratorium
ex eius nomine uocitatur. habens
fontem aquarum. quem ipse fertur
orationibus inuenisse. Nam dum
esset locus inaquosus. et illuc exi
tinere aliquando uenisset. aiunt
quia fatigatis qui cum eo erant. oras
set. et mox aque inundatio pro ru
pisset. et ex illo hactenus permaneret.
Eo tempore tymitanam et scithie ecclesiam
theotimus gubernabat. uir in philo

nota miraculum

digito

nota